



Boehmer Tzgr. 1798 nr. 1 d ist hinter } eingekreisten  
1798 nr. 4 b statt " }  
" nr. 1 c

"

"

*Jbl* 7  
1796  
18

# D. FRIDERICVS LVDOVICVS KREYSIG

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VIC.

FACVLTATIS MEDICAE WITTEBERGENSIS

H. T.

DECANVS

## DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DIE VI. MENS. SEPTER. A. R. S. CCCXXVI.

H. L. Q. C.

HABENDAM

INDICIT.

*Physiologorum de natura vis vitalis dissensio-*  
*sus exponuntur.*

PARS IV.

831

D E B I D E R I C A S P A D O N C A S

I C T U R Y S P I C A

**I**nquisiuimus nuper, quatenus subscriptendum sit prolatae nuper a viro celeberrimo sententiae, quae vim vitalem in mixtione et forma corporum organicorum ponit; nunc vero, ut promissi stremus, altera eiusdem argumenti pars consideranda nobis est, quae in eo certatur, num admissa ista theoria, vitae phaenomena vel nunc melius explicare licet, vel ea certe in posterum ex eadem melius explicatumiri sperare possimus.

In ipso autem huius investigationis introitu cum ipso Cel. huius sententiae auctore monendum nobis est, minime credendum esse, ex chemica corporum organicorum mixtione, si vel accuratissima eius cognitione instructi essemus, primas quasi vitae phaenomenorum causas seu ipsam interiorem corporum viuentium naturam vñquam posse erui. Miseri quippe mortales ne materiae praesentiam quidem animo concipere possimus, sed phaenomena solummodo sensuum ope animae communicata ad res externas referre iisque materiam tribuere solemus; quo modo hinc fieri vñquam posset, vt, si vel accuratissima corporum mixtionis cognitione instructi essemus, intelligeremus, cur tandem diuersa materiae connubia ad sua peculiaria edenda phaenomena hac sua mixtione apta fiant? Sed vero haec communis est aliqua physicarum scientiarum, ab animi imbecillitate profecta, imperfecta conditio, quam effugere nunquam poterimus, quae igitur nec huic, de qua loquimur, theoriae obesse posset. Interim vero si accuratius eam consideramus, quatenus certe melius ex hac, quam ex alia theoria, vitae phaenomena explicari possint, fatendum omnino videtur, ita eam comparatam esse, vt non solum hoc tempore nihil ex ea explicare licet, sed vero vix etiam sperandum sit, talem ei in posterum affusumiri lucem, vt ad uitam animalem melius illustrandam aptior et præstantior reddatur.

Ipsò

Ipsa quippe Vito Cel. concedente cognitio nostra, quam de corporum organicorum mixtione nunc quidem possidemus, maxime imperfecta est et quam plurimum abest, ut omnibus numeris absoluta appellari possit.<sup>a)</sup> Hoc solummodo certum esse videtur, peculiaris generis esse materiam animalem, ipsamque, quamvis unius in toto corpore sit indolis, in diversis tamen corporis partibus, diversis obnoxiam esse mutationibus. Ceterum vero nec omnia certe, ex quibus haec materia componitur, elementa nec eorum, qua ipsi insunt, proportio satis nota sunt. Neminem vero, qui de hoc argumento serio cogitauit, facile fore existimat, quin persuasum sibi habeat, accuratam et plenariam mixtionis corporum, maxime organicorum, cognitionem, maximis implacitam esse difficultatibus, optandamque fortasse magis esse quam expectandam: materiam quippe in se iam diuersissima esse et inde a summa ruditate, qua sensuum organa vehementius feriuntur, usque ad summam subtilitatem, quae plerosque sensus eludit, millesimos gradus iterumque millesimos intercipere videtur. Verum quidem est, eo iam venisse chemiam, ut materias subtilissimas, aërem, aquam etc. in partes suas dissoluerit nouasque sic materias detexerit, de quibus non tam multos ante annos nemo facile, ne somniando quidem cogitasset; quantae autem supererunt, quae nec hoc tempore detectae sunt, nec fortasse ob sensum nostrorum hebetudinem nunquam detegentur? Deinde vero etiam ratio et proportio, qua elementa ad noua corpora seu aliam materiam constitutandam coniunguntur, diuersissima est et aliqua proportionis corundem elementorum mutatio corpora ita mutat, ut tum externo aspectu tum effectibus suis admodum diuersa a se inuicem videantur. Ad hoc accedit, quod, quo subtilior aliqua materia est, eo etiam uideatur esse volatilior; hinc autem fit, ut dum materiam aliquam chemicae analysi subiicitur, subtiliora elementa vel auolent vel sub ipso separationis negotio noua ineant connubia nouaque simul corpora producant. Num autem credendum est, fore, ut instrumenta nostra, quibus ad corporum mixtionem indagandam uti solemus, ita perficiantur, ut ope eorum non solum omnia omnino, quae in dato aliquo corpore continentur, elementa eaque purissima et

a 2

ab

a) Archiv für Phys. Iste Heft. §. 25. 38.



ab omnibus aliis separata obtenturi simus, sed modus et proportio, qua quodcumque eorum corpori alicui inest, appareat? In corporum organicorum chemica analysi certe ad hanc metam nos quam pro gressuros esse, vix sperandum videtur; horum enim mixtio non solum in se multiplex admodum est sed maximam partem etiam a principiis subtilioribus et volatilioribus conflari videatur; proportionis vero elementorum ratione habita, plurimis haec materia obnoxia deprehenditur diversitatibus.<sup>a)</sup> Deinde materia organica non chemica solum, sed mechanica etiam ratione mixta est,<sup>b)</sup> maximeque subtiliora et velatiliora principia priori i. e. mechanica ratione cum rudiori materia iuncta esse videntur;<sup>c)</sup> Horum igitur principiorum, chemicae administrationis beneficio, indagatio erit omnino difficillima, et, si eorum proportio diversis temporibus eodem in corpore et vero etiam diversis in partibus per se iam diuersa est, si denique subtiliora haec principia una cum morto, quemadmodum contenditur,<sup>d)</sup> reuera auolant, nescio, an quam tum ea ipsa tum maxime, qua in animali materia inueniantur, rationem et proportionem, chemico artificio eruere poterimus.

Quae cum ita sint, timendum omnino videtur, ne ii physiologorum qui corporum organicorum vires ex mixtione eorum peculiariter enucleari et certiore linc de eorundem peculiaribus effectibus rationem reddi posse statuant, feliciores futuri sint iis, qui principia specifica ex cogitarunt aut iam cogita in usum vocarunt, ut vitae phaenomenorum rationem redderent; isti certe ab his verbis tantummodo, vix vero re ipsa differre videntur.

Primum enim ipse Cel. Reilus contendit, (l. c p. 30) vitam animalem sic produci, ut rudiori massae animali subtiliora principia admisceantur, horumque connubio ictam nouas adquirere virtutes atque aptam reddi ut vitae rationem contineri possit; mortem vero intrare, quod principium tale volatile et subtile auolauerit. Sed vero, si res ita fe haberet, non intelligo, quid impedit, ne haec materiae vitae principia appellantur; nihil aliud enim volunt et ii, qui vitam principiis subtilioribus repetunt quam hoc: vitam ea animali materiae, rudiori isti,

a 3

quam

- a) Gren Chemie Th. II. §. 921. b) Idem ibid. §. 923.  
c) Reil Archiv etc. §. 31. d) Id. ibid.

quam oculis nostris videmus, impertire seu vitam ea efficere, quatenus cum materia peculiaris generis, organica et animali coniungantur. Monet quidem Vir. Cel. ne ad credendum hinc inducamini, vel in cognitis iam et ab ipso enumeratis vel in aliis adhuc ignotis subtilioribus materiis ipsum vis vitalis substratum cerni; rudes enim materias aequae ac subtiliores ad vitam producendam esse necessarias, hasque non magis ac illas, solas et per se, ad vitae phænomena edenda aptas esse, sed utriusque materiae generis combinationem ad vitam producendam requiri (L. c. p. 40.) At vero sic dici quoque posset, et eos, qui vitam in principiis contineri statuant, vim vitalem in peculiari corporum organicorum mixtione quaerere. Eo magis hoc posset contendi, cum, quæ principiis, vitalibus dictis, adscribi solent attributa, eadem Vir. Cel. quoque ipsius materiae subtilioribus tribuat, ita ut, si, ceterorum, quæ auctor Cel. in eodem tractatu statuerit, incisus, ea sola legas, fluidi neruei defensorem audire credas. Talem enim, inquit, materiam subtilem et volatilē, materiaeque rudiori non immixtam sed admixtam, et ita comparatam esse debere, ut subito ab una parte auolare et ad alteram confluere, et nunc in hac, nunc in illa parte accumulari possit (p. 31.) Ut nihil moneam, Cel. virum ipsum dubium titubare videri, num vna an plures eiusmodi materiae subtile, quatenus cum crassiori massa animali iungantur, vitam proferant; (p. 32.) hi ab ipso allati materiae subtilis characteres iisdem etiam obnoxii esse evidentur contradictionibus, quas fluidi neruei patronis, huius attributa definitibus, opprobrio fecerunt. Dum enim materia haec subtilis et volatilis parti rudiori mechanica ratione admixta esse dicitur, quomodo talis eodem tempore tam fixa ei inherere possit, ut multa animalia ipsique homines per longam annorum seriem sanissimi saepe et morbi, seu peruersae vitae conditionis ne umbra quidem affecti, vivant, non intelligimus. Sed quomodocunque res se habeat et vera sit, nec ne ista de fluido nerueo sententia, eam re ipsa vix ab hac, quam hucusque considerauimus, nisi principiorum vitalium numero, differre apparet.

Quaecunque autem sic de materiae animalis mixtione, quatenus vitam continere dicitur, protuli, ea non ita intelligenda esse velim, ac si omnem animalis materiae chemicam inquisitionem superuacaneam

et



et ad explicandas corporis animalis functiones inutilera habeam. Ipse enim, eam summi in physiologia momenti esse, ab initio huius scriptiunculae monui; hoc potuis offendere volui, eam, qua nunc gaudemus, chemicam corporum organicorum in viuferum et animalium in specie cognitionem imperfectam maxime esse, tantumque abesse, ut vitae phaenomena ex ea explicari possint, ut vires peculiares, quae vitam efficiant, in ea contineri, vix, nec nisi mixtionis vocabulo latissimo sensu sumto, affirmari possit. Quae cum ita sint, cum praeterea, si vel summum in posterum perfectionis fastigium chemica corporum cognitione attingeret, de quo dubitare omnino licet, ex hac ipsa tamen in corporum vires non nisi empirice concludere possemus, (ita nempe ut, cognitis alicuius corporis phaenomenis et mixtione, aliud, in quo eandem plante mixtionem deprehenderemus, ad eadem phaenomena edenda aptum esse debere, cum certitudine concludere possemus) virium vitae scrutinium eo nobis limitandum esse videtur, ut empirica ratione procedamus, quae in phaenomenorum a corporibus viuis editorum et legum, secundum quas haec phaenomena ab iis eduntur, sedula collectione certitur; quae quidem inuestigatio hoc certe utilitatis habet, ut phaenomena innumera ordine quodam in animo nostro disponantur et uno quasi obtutu considerentur. De hoc vero Cel. viro ita persuasum est, ut in legibus corporibus viuentibus a natura impositis ervaendis nulli nos magis, quam ipsi debere gratissima mente fatendum sit. <sup>a)</sup>)

Iam veo ad ea transeo, quorum causa haec a me scripta sunt.  
Nunc enim commendandus et iustis laudibus condecorundus est

### VIR

PRAENOBILISSIMVS ET DOCTISSIMVS

HENRICVS TRAVGOTT SCHINDLER

GROEBA - MISNICVS

MEDICINAE CANDIDATVS ET ARTIS OBSTETRICIAE PRACTICVS

qui vitae suae rationem sequentibus verbis nobis ipse exposuit:

Ego.

a) a. L. c. §. 18.

**E**go, HENRICVS TRAVGOTT SCHINDLER, natus Groeba, pago prope Misniam d. 22. Mens. Octobr. Ann. 1764. parentibus, HENRICO GUILIELMO, Chirurgo, et IOANNA IVDITHA e gente SCHMIEDERIANA, immatura morte iam diu mihi ereptis. Religionis christianaæ praecepta aliarumque disciplinarum fundamenta usque ad annum aetatis decimum terrium, pater doceri me curauit Lockweitzii, quo loco tunc temporis chirurgiam exercuit, a Clarissimo OPITZIO, Ludimagiistro de me meritisimo. Praecepta chirurgica ab anno decimo tercio usque ad decimum quinuum a patre ipso accepta, deinde apud Cl. FRENZELIVM, Chirurgum Supremum Legionis equestris, custodiam corporis Ser. Elect. Saxon. gentoris, vterius excolui; ita ut non nisi gratissima mente, quantum in Chirurgia proficerim, huic Viro, de me maxime promerito, me debere lubenter fatuar. Quae ab anno 1782. usque 1784. a Praeceptoribus Collegii Medico-chirurgici Dresdensis traditae mihi sunt discipline medico-chirurgicae, eas omnes, quantum potui, in usum meum vertere studui. Audiui autem Anatomiam et Physiologiam recitatam a b. D. PITSCHELIO, medico supremo exercitus saxonici; materiam medicam a b. D. MEIDERO. Luis venereae therapiam mihi exposuit Exercitatorissimus ac Celeberrimus WILD, Chirurgus supremus exercitus saxonici; doctrinam de fasciis Celeb. SCHADEN, tunc electoralis alumnus Chirurgiae, nunc chirurgus aulicus; osteologiam Celeb. SCHNEIDER, electoralis alumnus Chirurgiae, nunc Chirurgus supremus Legionis Serenissimi Princ. Sax. Anatomiam mihi tradidit etiam Experientiss. HAERNELIVS; Pathologiam ac Therapiam Experientiss. DEMIANI. Anno 1784. munus mihi impostum est Chirurgi militaris apud legiōnēm equestrem leuiter armariam de Sacken, nunc de Gersdorf. Anno 1786. a legione, ut discendi causa Dresdam per annum redirem, veniam impetravi. Ibidem denuo repetii praelectiones anatomicas, chirurgicas, pathologicas et de materia medica habitas. Artis obstetriciae praecopra mihi tradidit b. RICHTERVS. Anno 1788. munere Chirurgi militaris apud legiōnēm pedestrem de Zanthier fungi coepi; quae cum Dresdam ut praefidili annuis ibidem praefesser, mitteretur, equidem cum eadē terria vice hanc urbem adiūc ibique rursus interfui lectionibus artis obstetriciae ab Experientissimo WEISSE, huius artis magistro dexterrimo, habitis; exercitationibusque anatomieis in theatro anatomico institutis. Ab anno 1791. usque ad 1792. insu legionis quarta vice Dresdam missus sum, iterumque lectiones percepī hoc tempore.

❧ ♫ ❧

tempore habitas, a Viris Experientissimis nimium Exp. DEMIANI, Exper.  
HAENELIO, a Cel. ORLIO, tunc Profectore in Theatro anatomico, nunc  
Chirurgo supremo legionis pedestris de Niefemuschel, et a Cel. WEISE. Anno  
1792. Mens. Julio a Collego medico-chirurgico Dresdeni publice examinatus,  
murus chirurgi obstetricanis Laubani adiit. Anno 1795, venia munera in annum  
relinquendi ab sapientissimo Senatu Laubanensi impetrata, Vitebergam veni, vbi  
Experientiss. BÖHMERVS tunc temporis Rector Academiae Magnificus. Allo  
ciuum academicorum nomen meum inscrut. Quo facto statim adiit scholas  
physiologicas, botanicas, chemicas, pharmaceuticas et medico-legales Exper.  
TITI; Therapiam generalem et specialem una cum materia medica tradidam  
acepi ab Exper. BÖHMERO. Pathologiam mihi exposuit Exper. KREY-  
SIG. Anatomicas disciplinas, nimirum Osteologiam, syndesmologiam ac Myo-  
logiam recitatas audiui a Cl. VOGT Profectore in Theatro anatomico.

Ex his iam satis luculenterque apparet, quantum Candidato in-  
terfuerit, vt in omnibus disciplinis medicis egregie inslituereetur. Ipsi  
vero nos indefessi ipsius studii et ardoris fere discendi cupiditatis per  
huncce quo apud nos versatus est, annum non solum testes sed iudices  
etiam fuimus; probavit enim nobis etiam strenuae diligentiae fructus in  
examine pro Candidatura nuper cum eo inslito ita, vt summos in Mel-  
dicina et Chirurgia honores capessendi veniam, quam humanissime a  
nobis petiti, lubentissime ipsi decreuerimus. Antequam autem hoc  
fiet, more solito, proprio Marte conscriptam Dissertationem: Obser-  
vationes et Meletemata quadam de herniis, meo sub praefidio publice  
defendet. Quem solemtem actum, cui proxima dies Martis, i.e. VI. Se-  
ptembris, dicata est, vt praesentia sua illustrem reddere velint, RECTO-  
REM ACADEMIAE MAGNIFICUM, COMITES ILLUSTRISSIMOS,  
PROCERES VTRIUSQUE REIPUBLICAE VENERANDOS, COMMITITONES GE-  
NEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS, omni, qua par est, obseruantia, et  
Ordinis nostri et mei et Candidati nomine rogo! Vitebergae, Domini:  
xxv. post Fest. Trinitat. a. C. MDCCLXXV.

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL.

Wittenberg, Diss., 1796-98

vd18

f



56.

a





D. FRIDERICVS LVDOVICVS  
KREYSIG

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VIC.

FACVLTATIS MEDICAE WITTEBERGENSIS

H. T.

## DECANVS

# DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

DIE VI. MENS. SEPTBR. A. R. S. CICLOCCXCVI

H. L. Q. C.

HABENDAM

INDICIT

*Physiologorum de natura vis vitalis dissensu-*  
*s exponuntur.*

*Jus exponuntur*

PARS IV